



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

morenos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber aper-
tus est, qui est vita, & iudicati sunt mortui ex his, qui scripta erant in libris secundum opera
ipsorum. Quo enim qualeso alio mysterio ait Ioannes multos libros apertos fuisse,
& deinde vnum tantum librum apertum, qui liber vite dicebatur: nisi quia mul-
ti libri ad peccata, & reprobos, vnicus autem ille libellus ad bona opera, & præ-
destinatos spectabat: Cum enim innumera sint omnium peccata, multique re-
probi, multos oportet esse libros, in quibus describantur. Quia verò merita pau-
cissima sunt, si cum peccatis conferantur, & electi pauci numero si cum repro-
bis comparentur, vnus, si que perexiguus libellus iis omnibus notandis sufficit.

A R G V M E N T V M.

*Hoc, & sequenti capite comprehenditur septima, & postrema visio huius ope-
ris. De celestis illius ciuitatis Hierusalem forma, magnitudine, pulchritudine, opi-
bus differitur: incomparabilis que beatorum felicitas magnificentissimis verbis de-
scribitur.*

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM. .



ET vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primū enim
cœlum, & prima terra abiit: & mare iam non est. Et
ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouā,
descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam
ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de thro-
no, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit
cum eis. Et ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum
Deus: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &
mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit
ultra, quæ prima abierunt. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce no-
ua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt,
& vera. Et dixit mihi: Factū est. Ego sum A, & Ω initiū & finis. Ego
sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc:
& ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autē, & incredulis, &
execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatriis,
& omnibus mendacibus, pars illorū erit in stagno ardenti igne, &
sulphure, quod est mors secunda. Et venit vnus de septē Angelis
habentibus phialas plenas septē plagis nouissimis, & locutus est me-
cum, dicens: Veni, & ostendā tibi sponsam, vxorem Agni. Et sustulit
me in spiritu in montē magnum, & altum, & ostendit mihi ciuita-
tem sanctā Hierusalem, descendentem de cœlo à Deo, habentem
claritatē Dei: & lumen eius simile lapidi pretioso tonquam lapidi
iaspidis,